



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

Regula 19.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

## XIV.

**S**I quidquam Bonorum Ecclesiasticorum hæreticis Pacis causâ concedi potest, absque autoritate & ratihabitione Summi Pontificis id fieri non debet; est enim alioqui usurpatio potestatis non competentis.

## XV.

**N**on licet eandem libertatem, quæ perperam concessa est Confessioni Augustanæ, seu Lutheranismò, concedere Calvinismo; cum enim sit hæresis specie diversa, multoque deterior, nova injuria inferretur Creatori & veræ Religioni, hæcque in majus periculum conjiceretur, &c.

## XVI.

**N**on licet ea absolutè & in perpetuum hæreticis promittere, quæ cum obligatione Officii aut Juramenti pugnant: est enim crimen perfidiæ & perjurii.

## XVII.

**N**on licet Pacem hisce conditionibus, vel aliquâ illarum, quas illicitas esse demonstravimus, imbutam sancire, confirmare, extendere; quia id fieri non potest absque peccato.

## XVIII.

**P**rinces & Status Catholici, si multitudo suffragiorum prævaleat, culpâ liberantur, si assensum negent, vel contra protestentur. de cetero pacificè tolerant, quod impedire non possunt.

## XIX.

**S**I Cæsar, Princes, vel alii Status Catholici, bonâ fide crederent, ejusmodi Pacem esse licitam, neque spes foret veritatis ipsis persuadendæ: sine fructu in periculum gravioris peccati conjici non deberent.

Cùm verò difficilè sit, bonâ fide tot præcipia Juris Naturalis Divini & Christiani, reclamantibus præsertim assiduè Summis Pontificibus, ignorari, viderint qui ignorant, & caveant, ne ignorentur ab eo qui nihil ignorat. Ut verò demus talia sine culpâ ignorari, aut non expendi à Principibus, at ægrè se pur-

gabunt Theologi. Quorum labia nisi custodiant scientiam SS. Patrum, Doctorum Veterum, Summorumq; in primis Pontificum verbis, factis, adeoq; decretis consentaneam, periculosè, quantumvis bonâ fide, Principes legem Domini ex ore eorum requirunt. Sed eodem finiamus Epi ogo, que S. Augustinus librum de Perseverantiâ clausit.

*Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit doctor interior, à cujus facie est scientia & intellectus. Qui verò errare se existimant, etiam atque etiam diligenter, quæ sunt dicta, considerent: ne fortassis i se errent. Ego autem cum per eos, qui meos labores legunt, non solum doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco. Et hoc per Ecclesiæ doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus veniat, dignenturq; nôsse, quod scribo.*

Omnia ad majorem DEI  
gloriam.



HER-